

« tormenta ducetur, tanquam insensatus et con-
« temptor. »

9. — Beda advertit quod Salvalor noster non solum huic infirmo, corporis et animæ restituit sanitatem, verum etiam per subjunctam comminationem, preservativam illi subministravit, ne denuo facile relabatur : « Sed qui foris ab infirmitate, ipse etiam intus sanavit a scelere, unde et caute præmonuit, ne amplius peccando, graviorem sibi « damnationis sententiam contraheret. » Verum inquis forsitan, quodnam poterat gravius supplicium incurrere, illo cui jam hactenus subjectus fuerat, dum triginta et octo annis in continuo paralysis dolore ab omnibus desolatus, duro cuidam lecto affixus immobiliter decubuit? S. Thomas de Villanova, *Serm. in hac fer.*, ait : « Noli recidere, « optimum est gratia stabilire cor, nam si recideris, pejus erit propter tria, propter ingratitude-
« nem, propter consuetudinem, propter diaboli « dominium, qui adducit septem alios spiritus « nequiores se. » Advertendum est autem quod hæc comminatio : *Ne deterius quid contingat*, non solum ad penam temporalem relationem dicit, quæ utique gravior futura sit, sed etiam et multo quidem amplius ad penam æternam. Unde Dionysius Carthusianus ait : « Propositum habe cavendi « omne peccatum, ne major pœna tibi in præ-
« senti, vel æterna damnatio infligatur, quoniam « recidivantes atque ingrati graviorem penam me-
« rentur. » Ipsum quoque Lyranus his verbis docet : « Incurrere penam æternam, deterius con-
« tingit, quia in recidivante fiunt novissima pejora « prioribus. »

VERSUS 15.

*Abit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus
« esset, qui fecit eum sanum.*

1. — Enimvero paralyticus iste ex discursu quem Christus cum ipso habuit, difficulter ipsum benefactorem suum fuisse intelligere potuisset, nisi ipsum, propter peccata sibi a Christo revelata et manifestata, interius Jesum esse agnovisset. Etenim paulo ante de ipso dicebatur : *Nesciebat quis esset;* quoniam igitur modo nunc eum, quis esset agnovit? Dici quidem potest a circumstanti populo id ei indicatum fuisse, qui huic patrulo miraculo præsens affuerat, quique ipsum deinceps tanquam miraculose sanatum suspiciebant, illudque miraculum ad majorem Christi gloriam publicari desiderarent.

2. — Non cognovit eum, quis esset, quamdiu in lecto languidus et paralyticus jacebat, typusque peccatoris erat, sed quando ei peccata fuere dimissa et gratie Dei restitutus, a Christo sibi dicitur : *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare;* quia quamdiu in statu peccati degimus, lumine Dei destituti sumus, ipsumque minime

cognoscimus, quia si eum agnosceremus, utique ipsum non afficeremus tot injuriis et contumeliis, nec ipsum toties mortaliter offenderemus.

3. — Porro falsum est quod nonnulli somniant, videlicet paralyticum hunc, Redemptorem nostrum adeo erga ipsum benignum et beneficium, Judæis ex malignitate quadam manifestasse, ut videlicet ipsos, contra Christum magis et vehementius exasperaret; siquidem causam, cur illum Judæis annuntiarit, textus Evangelicus expressis verbis explicat, dum ait : *Nuntiavit quod Jesus esset, qui fecit eum sanum.* Unde Cajetanus ait : « Hinc apparet quod bono animo rectaque intentione iste retulit Judæis, ad hoc enim significandum Evangelista narrat, non retulisse quod « interrogaverant, scilicet, *quis est ille qui dicit « tibi : Tolle grabatum tuum et ambula;* sed annuntiasse quod non interrogaverant, beneficium acceptum; annuntiasse opus miraculosum affectu « gratitudinis et ad Dei gloriam. » Ejusdem quoque sententiæ fuit Euthymius, dicens : « Non tanquam iniquus ut proderet, sed tanquam gratus, « ut benefactorem divulgaret, nam quia crimen se « incurrere putavit, si tacuisset, beneficium prædica-
« cavit. »

4. — Enimvero invidia et odium quo Sacerdotes, Scribæ, Pharisei, cunctique alii synagoge Principes, Filium Dei prosequerantur, manifestum omnibus erat, ideo enim adversus ipsum conjurabant. *Joan.*, ix, 22 : *Conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam efferret.* Et ideo tanto magis elucescit quam fuerit boni hujus viri gratitudo, constantia et pietas admirabilis. S. Augustinus, *tr. xvii in Joan.*, ait : « Postquam vidit Jesum et cognovit eum auctorem « salutis suæ, non fuit piger in evangelizando « quem viderat. »

5. — Chrysostomus quoque nos ad deligendum in ejus virtutem oculos nostros invitat, dicens : « Intuere hominem in pietate perseverantem, profecto magno et fideli animo medicum et acceptum beneficium professus est. » Salmeron quoque animositatem hanc qua se omnes respectus humanos pedibus conculcare probat, hinc verbis commendat : « Maxime autem placet Deo confessio « intrepida et frons confidenter confitens Deum « coram Judæis; nam qui *negaverit me*, inquit, « *coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* »

6. — S. Thomas ori hujus paralytici verba illa ingerit Psalmi lxxv : *Audite et narrabo vobis, quanta fecit Dominus animæ meæ;* quia ex quo Judæi, omnibus viribus ex ore ejus testimonium tale elicere nitentur, quo ipsum observantem præcepti sabbatini transgressorem fuisse fateretur, ipse et contra ad divinam et miraculosam ejus omnipotentiam et beneficentiam testificandam, discursum suum re-

torsit. *Nuntiavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.* Unde colligitur quam verum sit quod

de impiis his Judæis dicitur, *Psal.* x, 2 : *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.*

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XVII, VERS. 1

1. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.

2. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illi Moyses et Elias cum eo loquentes.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse; si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : Ipsum audite.

6. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis :

7. Surgite, et nolite timere.

8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

9. Et descendit illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

VERSUS 1.

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem.

1. — Paulus de Palatio super illud verbum, *assumpsit*, dicit : « Assumuntur, et non ipsi eunt, « quia tota nature potentia huc pertingere non « potest, ut homo ascendat in cælum; nemo ascen-
« dit, nisi quem Deus, qui est aquila grandis, « expansis alis assumpserit et portaverit in humeris suis. » Sed quare non omnes assumpsit? querit Angelicus Doctor S. Thomas. Numquid omnes Apostoli digni scholæ ipsius discipuli, et visionis istius capaces erant? Respondet S. Joannes Damascenus : « Omnes Christi amore præditi, sed unus pecunia studio flagrans Judas, unus hic duntaxat indignus « erat, qui divinitatem suam spectaret. » Et ideo non omnes assumpsit, ne ejus indignitatem manifestaret, sed potius honori et bonæ famæ ipsius prospiceret. « Ad hunc modum proditoris crimen « occudit, dum ex toto Apostolorum numero, tres « duntaxat eligit; si solus Judas esset omissus, « tanquam invidus, ad majorem fuisset malitiam « provocatus. » S. Thomas, in cap. ix *Luc.*, aliam reddit rationem : « Ad designandum, quod non « omnes qui vocati sunt, perveniunt; quia multi « sunt vocati, pauci vero electi. » Didaeus Stella dicit sapientissimum Magistrum nostrum nequaquam voluisse, ut ejus transfiguratio manifestare-

tur; prout ex ultimis hujus Evangelii verbis colligitur; hoc autem intentum suum difficulter assequi potuisset, si ad gloriosum hoc spectaculum videntium, omnes tanquam spectatores intervenissent. Similiter tres solum elegit, quia, ut Albertus Magnus scribit : « In ore duorum vel trium testium « stabit omne verbum. »

2. — Porro mysteria et rationes, cur potius hosce tres elegerit quam alios, multæ sunt. Etenim S. Petrum elegit, inquit Lucas Brugenensis, quia cum paulo ante, ex divina revelatione edoctus, sollemne illud de Christo perhibuisset testimonium : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, justum erat, ut ad hanc quoque Christi transfigurationem adhiberetur, ut audiendo æterni Patris vocem, dicens : *Hic est Filius meus dilectus*, etc., insuperque ipsum gloria, Filium Dei decente, quaquaversum adornatum et circumdatum videntem, in hac eadem fide, tanto magis firmiusque solidaretur. Similiter elegit S. Jacobum, quia hic ante omnes Apostolos, pro Christi fide vitam et sanguinem profusus erat; eratque « proinde animadmodum spectaculo gloriæ « Christi. » Denique S. Joannem huic gloriæ ipsius interesse voluit, quia cum hic cunctos alios Apostolos supercitratus esset, « congruebat testem esse « visæ gloriæ Jesu; » maxime cum, ut satis ex ejus Apocalypsi constat, in multis eidem concedendis raptibus et extasibus, multis honorandus esset visionibus cælestibus.

3. — Tres hi eidem Apostoli, in horto interfuturi erant agonie Salvatoris nostri, quando fusurus sanguinem erat; et ideo justum erat, ut hujus

quoque gloriæ Christi redderentur participes. Quia, ut Didacus Stella ait, « tempore prospero, debent homines se parare ad tempus diversum; hi tres erant visuri Christum tremebundum in horto et ne tunc scandalizarentur in eo, per carnis infirmitatem, ostendit modo gloriam suam, ut non diffidant. » Qui enim coelestes a Deo consolationes abundantem participant, certi esse debent, quod se ad spiritus ariditates et desolationes preparare debeant. Chrysostomus, *Hom. LVII in Matth.*, aliam assignat rationem, cur hi tres præcipue delecti fuerint, quia scilicet: « Excellentiores cæteris erant. » Quod idem Glossa confirmat, dum ait: « Scit meritorum cognitor perfectiores fuisse cæteris. » Et quidem si sanctitatis mensura ab amore Dei sumatur, certum est, quod omnes illi tres Deum super omnes alios diligebant: « Petrus quidem, » ut S. Chrysostomus ait, « quia valde Christum diligere; Joannes, quia nimium diligebatur. » S. Jacobus præ cunctis honoris Dei zelo ardebat, quod manifestum erat ferventissimi amoris ipsius indicium; etenim ipse primus fuit, qui pro Christi amore et fide, mortem occubuit; ipse quoque apud omnes Judæos, in tanto odio et abominacione erat, ut post illatum ipsi necem, totum Evangelium subversum esse crederent. Præterea S. Thomas Doctor Angelicus ita de ipso scribit: « Jacobus, quia præcipuus debellator erat adversariorum fidei, ideo Herodes eum occidit. » Theophylactus quoque de ipso dicit: « Assumpsit Jacobum, qui et ipse ferebat zelo pro Christo. »

4. — S. Ambrosius, *lib. VII in Luc.*, alia quædam ipsorum privilegia tangit: « Petrus ascendit, qui claves Regni cælorum accepit, Joannes, cui committitur Domini Mater; Jacobus qui primus martyrium sustinuit. » Salmeron ait: « Perfectiores et futuri vertices Apostolorum et magis dilecti. » Idem quoque in hisce tribus notat, quod Christus illos, mutatis præcis nominibus, excellentioribus nobilitavit; siquidem duo illi germani fratres Jacobus et Joannes, dicti sunt *Bomerges*, id est, *filii tonitru*, Simon vero cognominatus est *Cephas*, quod idem est quod *Petrus*.

5. — Dionysius Carthusianus dicit quod assumpsit « Petrum, tanquam futurum totius Ecclesiæ presidem; Jacobum tanquam moriturum pro Christo ante alios; Joannem tanquam Theologum purissimum organum, ut visa gloria Filii, quæ non subiacet tempori, resonet illud: *In principio erat verbum*, etc. »

6. — S. Ambrosius, ab assumptarum personarum meritis abstrahens, ternariumque numerum solum ponderans, dicit: « Hoc fortasse præterea fecit, quia nemo potest resurrectionis gloriam videre, nisi qui integrum mysterium Trinitatis, incorrupta fidei sinceritate servaverit. » S. Anselmus ulterius progreditur et nonnullas quoque in

personis ipsis, ad hanc gloriam vindicandam, præcessisse analogias considerat: « Nomina etiam conveniunt; unusquisque enim fidelis debet esse Petrus, id est, firmus in fide; postea Jacobus, id est, supplantator vitiorum; postea Joannes, id est, adscribens omnia gratiæ Dei. »

7. — Salmeron in tribus hisce Apostolis, varia testimonia perhibita notat: « In his etiam tribus, intelligimus tria testimonia exhibita, signis, san-guine et doctrina; signis consuevit Petrus; sanguinem primus fudit Jacobus pro Christo; doctrina illustris fuit Joannes, qui propterea dicitur « Theologus. »

8. — Hugo Cardinalis ait: « Per hos tres, omnes electi significantur. » Cum enim in hac transfiguratione cælum aperendum, nec non aliquod divinæ gloriæ specimen edendum fuerit, verissimumque sit Deum omnes homines hujus gloriæ participes fieri velle, vult omnes saluos fieri, justum erat, ut hi tres ejusdem gloriæ spectatores assisterent, utpote per quos omnes status, vocationes et professiones personarum representantur. Significantur enim « per Petrum conjugati, » inquit Hugo Cardinalis, « vel præpositi, » ut Glossa scribit, et Albertus Magnus: « Quorum Petrus prælatus. Per Jacobum, » inquit Glossa in Lucam, « poenitentes, » vel ut Hugo Cardinalis vult, « con-tinentes. Per Joannem, » ut Glossa exponit, « vir-gines, » vel ut Hugo Cardinalis ait, « claustrales, » aut vero « contemplativi, » ut vult Albertus Magnus.

9. — Voluit insuper increata et incarnata Sapientia nos docere, quod, quicumque in æternæ beatitudinis monte transfigurari desiderat, hosce tres in sua societate secum habere debeat. « Petrum, » inquit Hugo Cardinalis, « id est, cognitionem Dei, » sui, proximi; Jacobum, id est, oportet quod habeat lutam contra mundum, carnem, diabolum. Item oportet quod habeat Joannem, id est, gratiam sine qua nec cognitio, nec lucta aliquid valet. »

10. — Didacus Stella, *in Luc.*, observat, quod Christus pro sua transfiguratione, sylvam seu solitudinem et inter omnes Apostolos, tres solum eosque familiarissimos elegerit, imo ut Theophylactus ait: « Ut magis taciturnos et silere valentes, » non vero ita fecit, quando crucifigi voluit. « Observa, quod Christus coram paucis transfiguratur in monte et paucis ostendit gloriam suam; ignominiam autem ostendit in monte coram multis gentibus; in sua passione publice et in die Paschæ. »

Et durit illos in montem excelsum seorsum.

11. — Electio illa, qua pro sua transfiguratione, solitudinem quandam, sublimemque montem elegit, minime credenda est vacare mysterio. Glossa

Interlinearis dicit: « Gloriam majestatis ostensurus, montem petit, ut discant gloriam non in profundo hujus sæculi, sed in regno supernæ beatitudinis esse querendam; » ac proinde in hymno presentis festi canitur: « Quicumque Christum queritis, Oculos in altum tollite, illic liebit visere Signum perennis gloriæ. » Didacus Stella dicit, ideo Christum discipulos suos futuræ gloriæ spectatores in altum perduxisse, « ut doceat omnes, qui hanc videre desiderant, non in infimis jacere voluptatibus, non illecebris capi carnalibus, non terrenis adherere cupiditatibus, sed supernorum amore ad superna semper erigi. »

12. — Dicit fortasse aliquis, numquid ad hoc, ut unamquamque fidelem animam ad beatum hoc regnum anhelare faciat, melius fuisset si in medio templi Hierosolymitani, pro eo tempore, quo densa populi multitudo referretur fuisset, transfigurationem suam ordiretur; maxime cum Petrus, omnium nomine dixerit: *Bonum est nos hic esse*; primaque prædicationis Christi verba ad nos, ad hujus regni possessionem adendum, invitandos directa fuerint? Fecit hoc ut intelligeremus, non omnes oculos satis purgatos habere ad Deum conspiciendum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; similiter in solitario monte transfigurari et postea in sublimi quoque monte in cælum ascendere voluit, ut nobis per hoc innueret, quantum solitudo et recessus solitarii ad gloriam acquirendam conducant: « Eremus est paradus deliciarum, » inquit S. Basilii; « exul mundi heres est paradisi. » S. Hieronymus quoque dicit: « O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus civitas magni Regis construitur. »

Et transfiguratus est ante eos.

13. — Salmeron spectaculum istud, nocturno tempore accidisse scribit, nam ut S. Lucas refert, eo tempore contigit, quo Christus orationem suam instituit; hanc autem de nocte in loco aliquo solitario facere solebat. Hujus quoque opinionis stabilien-dæ aliud quoddam ex eodem S. Luca, ix, 32, desumptum adducit argumentum, quia nimirum tres hi discipuli tempore inchoandæ transfigurationis, somno gravati erant: *Petrus vero et qui cum ipso erant, gravati erant somno et evigilantes videbant*, etc., idcirco amoenissimum et suavissimum fuisse spectaculum, in mediis tenebris cernere Jesum, plus sole splendentem.

14. — Certum est, quod cum anima Christi, clara Dei visione perfruita fuerit, consequenter etiam quatuor gloriosi corporis dotes in corpus suum transmittere potuerit et tamen easdem a primo conceptionis suæ instanti, usque ad illud transfigurationis sue momentum suspendit et in portione animæ superiori retinuit, ne ad sacratissimam ipsius transmitterentur humanitatem; que-

nam igitur fere Christi motiva, ob quæ hanc gloriam nunc in corpus suum dimanare voluit? Multa profecto sunt, eaque omnia mysteriis plena.

15. — Didacus Stella, *in Luc.*, dicit: « Voluit transfigurari propter Ecclesiæ consolationem; » Christus etenim quoad apparentiam exteriorum vilis et pauper et contemptibilis erat, quia purus homo potius, quam simul Deus esse videbatur; ut igitur fidelium suorum, nec non discipulorum fidem et spem vivaciorem et animosorem efficeret, se quoque illis veluti quendam infinitæ majestatis Deum videndum exhibere voluit, eidemque visioni Petrum, qui supremum Ecclesiæ suæ pastor et caput futurus erat, presentem esse voluit, qui in secunda Epistola sua Canonica, II, 16, stabilissima fidei nostræ fundamenta, super hoc transfigurationis Christi mysterio jacere voluit, dum ait: « Non enim doctas et fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. » Enimvero solidissima maximeque stabili veritatis fidei nostre argumenta, ait Jansenius, transfigurationi huic inserta esse videmus, siquidem hæc nobis Christum simul exhibet Deum et hominem; qui ab æterno Patre tanquam Filius ejus nobis datus est, veluti Redemptor et Salvator noster, qui pro salute nostra comparanda, amarissimæ se mortis supplicio subjecerunt. « Unde D. Petrus hujus transfigurationis meminit, nimirum quod sciret, quantum per hoc fides nostra confirmaretur, Dominus suam majestatem insolita majestate prodit; accedunt testes omnium gravissimi, qui mortis modum et rationem testantur; postremum accedit et Pater ipse, se vere presentem declarans et omnium maximum de Filio suo testimonium præbens. »

16. — Apostoli alique ipsorum sequaces, post mortem Christi multis exponendi erant persecutionibus, stragibus, immanissimisque tormentis. Imo et morti ipsi, ideoque illos, inquit Lyranus, hac visione animare voluit: « Ut ostenderet discipulis gloria futuræ resurrectionis non tantum animæ, sed et corporis; ut sic animarentur ad sequendum Christum, in acerbitate passionis. » Est porro celebris illa Tertulliani sententia: « Nihil ærus sentit in nervo, cum animus est in cælo; » quando enim oculus noster in æternam retributionem deligitur, nullum est tam acerbum genus tormenti, quod non libenti, imo hilari et læto animo toleretur. Unde Christus, ut inquit Carthusianus, transfigurari voluit, « ut ostenderet eis mercedem expectandam in patria, dandam pro tribulationibus vite presentis ut per hoc in passionibus hujus vite animarentur et certificarentur de premio. *Philipp.*, III, 20: *Salvatoreum expectamus Dominum*, etc. »

17. — « Voluit etiam transfigurari propter seip-

« sum, » inquit Didacus Stella, « ut celebraret « Pascha corpori suo; » cujus hanc subdit rationem, quia jam triginta et amplius anni effluerant, quibus immaculatam carnem suam, per jejunia aliasque asperitates, affligerat et macerarat, « nec « diem aliquem letum et festivum ducebat. »

18. — Ex lectis S. Lucae, ix, 29, transfigurationem, Christo orante, accidisse satis manifeste colligitur. Dicit enim Evangelista: *Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera.* Unde Gilbertus, *Serm. xv in Cant.*, sequentia scribendi occasione sumpsit: « Voluit per hoc in mente sua orationis « commendare virtutem, quod illa sit, quae te in « intimis alterum faciat et novum commutet in « hominem. Nos, inquit Apostolus, *revelata facie « gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem « transformamur.* »

19. — Reflectendum quoque nobis est quod Evangelista non dicat, quod Christus semetipsum transfiguravit, sed ipsum transfiguratum esse asserit, *transfiguratus est*, quod idem est cum eo, quod S. Petrus de hoc mysterio, in Epistola sua tractans, scribit: *Accipiens a Patre honorem et gloriam, voce delapsa in nube, etc.* De Satana vero e contra dicitur, quod *transfiguravit se in Angelum lucis*; qua in re juxta S. Antonii Paduani mentem, nobis insigne quoddam humilitatis exemplum dare voluit: « In « hoc notatur humilitas; » semper etenim gloriae et honorificientiae externae ostentationem et apparentiam declinare voluit. Unde Apostolus, *Hebr.*, v, 4, ait: *Nec quisquam sumpsit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, praeterquam quod, quoadusque vixit, patienti quidem cupidissimus fuit, non vero gaudendi: « Nec diem aliquem letum, etc. »*

Additiones.

a. — *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem, etc.* Nescio an unquam observaveritis qua ratione Redemptor noster in monte Thabor se transfiguratum et gloriam suam ostensurus, tres dumtaxat Apostolos secum assumpsit. Ad alia mysteria, non minoris momenti, admisit omnes, ipsum etiam proditoriorem praesertim in institutione Sacratissimi Sacramenti, quando vel maxime malitiosus ille repudiandus videbatur. Cause quas tangunt, multae sunt et variae, quarum una est quod, quia agebatur de celesti gloria, quam aeternus glorificator ostendebat, voluit fidelibus suis insinuare, omnes ejusmodi fuerint status et conditionis, illius fore participes, nullum ab ea se velles excludere. Cum igitur per hos tres, varii denotentur status personarum, ut dicitur supra, hunc in finem eos eligit et non alios, ut excitarentur fideles ad ducendam vitam observantiae divinae legis conformem, juxta propriam vocationem,

scientes, quod in domo Patris ejus mansiones multae sunt.

b. — Observate ulterius quinam interfuerint visioni Transfigurationis: *Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum et Joannem.* Hos profecto a collegio Apostolico, non sine mysterio separatos fuisse credo, quia nimirum celestis Magister eos praeter ceteros majori noverat effervescentes zelo. S. Petrus illam, esto non ordinatum secundum scientiam, ostendit in horto, quando armatorum militum cohorti se opposuit et Malcho praesecevit auriculam; sed et zelosorem se exhibuit in pluribus aliis occasionibus, cum Judaeis praesertim in ipsum ferocientibus, intrepida voce respondit: *Oportet obedere Deo magis quam hominibus.* Ambo fratres Jacobus et Joannes evidens zeli dederunt testimonium, videntes namque amatissimo Magistro suo illam a Samaritanis injuriam, qui spectantibus ipsis urbis portas praecloserant, a Christo petebant: *Vis, dicimus ut ignis descendat de caelo et consumat illos?* S. Jacobus omnium primus voluit seminare verbum Dei et promulgare Evangelium, simulque prostermere idololatram; ideoque primus inter Apostolos martyrii coronam recipere meruit: *Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio; videns autem quia placeret Judaeis.* S. Joannes a Deo dilectus, quia praeter ceteros Deum diligebat, oportet dicamus cum praeter ceteros fuisse zelosorem, quia zelus mensuratur ab amore. Quapropter quoties meruit videre caelum apertum, ut legitur in sua Apocalypsi. Zelum habuit Joannes, et ideo raptus est ad caelum. At quia jam coeli aperti fecimus mentionem, vochem protomartyris Stephani, cum a perfidis Judaeis lapidaretur, audiamus: *Ecce video caelos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Ubi attestatur B. Petrus Damianus, S. Stephanum honorem Christi quaesivisse, idque probat hoc modo: « Vox liberior, et illorum colibus exacuitur « sermo veritatis, » Acriter reprehendebat totam synagogam: *Dura cervicis, etc.* Quod mirum igitur, quod ei reserentur et aperiantur caeli. Zelum habuit Stephanus, et ideo vidit caelos apertos.

c. — Eximium beneficium videndi transfigurationis glorias, Christus Dominus his tribus Apostolis, Petro, Jacobo et Joanni concessit, quod aliis est denegatum, qui ad montis radicem relictii sunt. Cujus rei pulchram rationem assignat S. Ambrosius, in *cap. ix Luc.* « Petrus, » inquit, « ascendit, qui « claves regni caelorum accepit; Joannes vero cui « committitur Mater; Jacobus qui primus solum « sacerdotale conscendit. » Diligenter notandum hoc quod dicitur de S. Jacobo: « Qui primus solum « sacerdotale conscendit. » Ut ex ipsa manifestata gloria instrumatur, quanta sit sacerdotalis dignitas, quantaque puritas exigatur, ut Eucharistiae sacramentum, in quo adest corpus Christi, conficiatur, cum scilicet eum, in quem oculi nostri non poterunt intendere, sacerdos manibus suis tractet, oreque

suo sumat. S. Bernardinus ad hoc propositum stringens argumentum format, dum ita discrrit: Quanto altior est dignitas et praerogativa sublimior, qua Filius Dei sacerdotes honoravit, eosdem ad ministerium suum eligendo, tanto majorem illis imposuit necessitatem et obligationem, ut erga ipsum se reverentes et servos non indignos exhibeant: « Quapropter sicut super omne hominum genus, « propter hoc mysterium Deus vos honoravit, « ita et vos super omnes diligere, venerari et « honorare curate. » Inter alios ritus, quibuscum Deus agnum manducari praecipit, unus hic fuit: *Non comedetis ex eo erudum quid,* qui profecto ritus non parum mirandus esse videtur, cum omnes carnem erudam etiam agni perhorrescant. Ideoque prima facie prohibitio haec superflua videri esse posset; at vero: *Omnia in figura contingebant.* Dicit enim Abulensis: « Dicitur, quod non sumatur « agnus erudus; erudum enim manducatur qui nul- « lam circa illum dispositionem aut praeparationem « praemittit. Et sic erudum cibum sumit, qui corpus « Domini ab aliis cibis non discernit, et sic impurus « ad illum cibum accedit sicut ad communem; et « hoc damnabile est. » Pro ejus clariori intelligentia, Anastasius Synaita similitudinem istam adducit: « Dic age, » inquit, « si cenam manibus « gestares, auderesne regias vestes attingere? Quid « dico? Neque tuas vestes tangeres inquinatis mani- « bus. Cur igitur eum, quem vilibus vestimentis « habes honorem, non itidem impendis Deo? » Idem quoque argumentum S. Augustinus efformat, dum ait: « Quis adeo impius erit, qui lutosus « manibus Sacratissimum Sacramentum tractare « praesumat? » At vero certum est quod Deus magis offendatur per conscientiam immundam quam per manum sorditiem. Licet enim sacerdos manum leprosam habeat, non tamen propter hoc corpus Christi offenditur, bene tamen ei per lepram culpa injuria irrogatur: « Si erubescimus, ac « timemus Eucharistiam sordidis manibus tangere, « plus debemus timere ipsam Eucharistiam intus « in anima polluta suscipere. »

d. — Celsum montis cacumen scandunt Apostoli, quia Dei magnalia apparent non his qui replant humi, qui deliciosissima humanae vitae prata transeuntes, marcescibili florum gaudent corona, sed his, qui disponunt ascensionem in corde suo, qui jacentibus bonis conculcatis, sublimibus inhiant et aeternis. Glossa Interlinearis dicit: « Gloriam majes- « tatis ostensurus montem petit, ut discant gloriam « non in profundo hujus saeculi, sed in regno su- « perne beatitudinis esse quaerendam. » Ac proinde in Hymno presentis festi canitur: « Quicumque « Christum quaeritis, Oculos in altum tollite; Illic « licebit visere, Signum perennis gloriae. » Didacus Stella dicit, ideo Christum discipulos suos futurae gloriae suae spectatores in altum perduxisse, « ut

« doceat omnes, qui hanc videre desiderant, non in « infimis jacere voluptatibus, non illecebris capi « carnalibus, non terrenis adhaerere cupiditatibus, « sed superiorem amore, ad superna semper « erigi. » Quisquis enim mundum contemnere cupit, bona caelestia respiciat, ut ad gloriam pertingere caelestem possit.

e. — Praerupti montis ardua et difficilia cacumina ut ascendant discipuli, spectaturus praestitit Christus. Nil enim magis servum ad labores trahit quam si laborantem Dominus remuneraturus aspicat. Unde Jacob cum primum laboriosam, arduamque plenam aggreditur viam, celebri illi praemunitur visione qua vidit scalam, et arduam, et sublimem, simulque ascendentes, et descendentes per illam, in qua nihil non labore, et difficultate plenam vidit, nisi quod Dominus summitati nitebatur, ascendentes conspexit. Quippe maxime ad laborandum provocantur, qui sub remuneraturis Domini aspectu labori incumbunt. Sic qui in via perfectionis magnam vult habere incertum, simulque efficacem ad delicias exhorescendas remedium, et ut quod libet tormentum lubenti animo sustineat, passionem Christi, qua nobis in morte crucis prebit, et nunc pugiles suo in caelo existens spectat, attente meditetur.

f. — Ad has Thaboris glorias in quibus Christus Dominus apertum suae divinitatis testimonium exhibebat, cur Phariseos non adducit, ut re iam evidenti, invidiam deponeret, eumque ut Deum verum venerentur? Ad quid solum tres intimi amici eliguntur? O magnum divini Magistri documentum! ut certo instrumatur, ne multum sollicitus, ut in inimicorum nobis fortunam nostram invidentium, conspectu magnalia nostra propalemus, ac manifestemus. Tantum enim abest, ut tali evidenti aspectu emollescant, ac mitigentur, quin potius in sua invidia magis firmanur, ac obdurescent. Imo praerimia inquietudine quasi enervantur.

g. — Federal jam Dominus mentionem coram discipulis de regno suo, quando dixit: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Post illa verba, sicut annotat S. Lucas, non statim se transfiguravit, sed transactis sex diebus; nam, ut ait S. Chrysostomus, si statim eos assumpsisset, ceteri turbarentur, velut ex temporis continuatione conjecturantes, illos ea de causa assumptos, ut regnum Dei viderent. Ac proinde, ut notat S. Thomas, in *Matth.*, xvi, aliqua ansa invidie daretur. Secundo, ut docet D. Ambrosius, in *Luc.*, ix, quod est desumptum ex Origene, *Hom. ii in Matth.*, per sex dies factus est mundus. Innuitur ergo, quod solus ille potest ascendere super montem excelsum, et gloriam aspicere verbi Dei, qui omnes mundi res firmus adherens Christo, transcendit. Servi nam-

que Dei nentiquam tabernacula, quæ domos mobiles sunt, diligunt, quia oculos in cælum defixos habent, adeoque terram fugiunt, ut si ipsis possibile foret, nequidem eam sola pedum extremitate conlingerent. S. Gregorius in statu seculari mundum vilipendit, ideoque opulentum suum venditum patrimonium, partim inter pauperes, partim in construendis monasteriis erogavit. Summum autem pontificatum tam rara insignivit modestia, ut in supremo illo culmine constitutus, juxta revelationem divinitus factam cuidam eremite, minori in papatum ferretur affectu Gregorius, quam eremita ille ad quemdam felem. Sed undenam tantam sanctissimi hujus Pape a bonis transitoris prophanasse existimatis sequestrationem? Responsum ab eodem excipite S. Doctore: « Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est. » Quemadmodum idem hic S. Doctor de S. Benedicto commemorat, dum ait: « Ante oculos ipsius quasi sub uno solis radio collectus, omnis mundus adductus est. »

h. — Eximium profecto beneficium videndi transfigurationis gloriam, Christus Dominus his tribus Apostolis Petro, Jacobo et Joanni concessit, quod aliis est denegatum qui ad montis radicem relicti sunt. Queritur autem hic quare hos tres præ cæteris elegerit? Assumitur Petrus ut beatam gloriam videat, qui potestatem dimittendi peccata, quæ nos superna felicitate privant, ost accepturus; ut a magnitudine et atrocitate passionis, quam post modum erat visurus, tum etiam gloriæ, quam erat accepturus turpitudinem peccatorum perpendat, ac æstimet. Optime autem ex passione Filii Dei in notitiam devenitur gravitatis peccati.

i. — *Inxit illos in montem excelsum seorsum.* Dominus ac Redemptor noster ducem semper se nobis exhibuit ad montem gloriæ; unde certo colligere possumus, non esse aliam viam ad illam, quam eam qua ipse processit. De qua jam olim nos docuerat dicens: *Non est servus major Domino suo.* Ipse enim regnum cælorum nobis consignat, sed cum eodem onere, quo ille idipsum acquisivit. Dixit eum, *Luc.*, *xxii*, *28*: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposui mihi Patrem meum Regnum.* Ac proinde cum Christus discipulis suis, et consequenter nobis omnibus, sub iisdem oneribus et obligationibus, regnum suum relinquit, quibuscum ipse illud ab æterno Patre suo accepit, consequens est quod si in supernæ illius hereditatis possessionem subingredi volumus, onera quoque et obligationes illius adimplere necessario debeamus. Unde Cajetanus, verba illa: *Dispono vobis, etc.*, ita explicat: « Similes mihi dispono vos futuros in regno, qui perseveratis mecum in afflictionibus. » Prius enim Apostolis dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in*

tentationibus meis; et postea subdit: Et ego dispono vobis regnum. Sic enim ipsemet quoque Dei Filius de seipso dixit: *Nonne oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?*

j. — Transfigurari voluit Dominus ex hac causa, ut qui venerat docere abnegationem propriam et tollendam crucem, animaret quoque homines ad dura et aspera subeunda. Transfiguratur, ut ex visa gloria certo sciant majora bona esse recipienda quam extiterint mala que pertulerint. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum mensuram, consolationum spiritualium crescit, imo et semper superexcedit abundantia. Regius Psalmista dicit, *Psal.*, *xciii*, *19*: *Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Quam ob causam Theophylactus quemcumque in servitio Dei amplectendo dubium, et accipiente alloquens, hosce eum exhortatur motivo: « Ne despondeas animum, quisquis audis afflictiones et mala. Quanto enim hæc exuberant, tanto exuberant consolationes. » Flos præcedit fructum, floram in ramis luxuriantibus copia sperarum prodroma indigitat fructuum fecunditatem. *Fructus autem spiritus*, inquit Apostolus, *gaudium, pax.* Qui autem prævi sunt horum fructuum flores? Respondet Chrysostomus: « Sicut fructum flos antecedit, sic penitentia et dolor lætitiæ præit, et dolori lætitiæ succedit. » *Vos autem contristabimini*, suis Christus prædicabat Apostolis. Ecce flores. At qui eos sequentur fructus? *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ludolphus Carthusianus, in *Ps.*, tribulationem et consolationem discretionis sedulo statera commisit, sequæ æquale in utraque pondus reperisse faletur, inquit: « Quanto magis egi penitentiam, tanto magis me consolatus es; unam fudi lachrymam, unam merui consolationem; decem fudi lachrymas, decem merui consolationes. Quantum fuit penitentiae pondus, tantus fuit consolationis numerus; magnitudo tribulationum, magnitudo premiorum est. Quot patimur vulnera, tot meremur et coronas. »

k. — S. Antonius Ulyssiponiensis, *Serm.* *ii* in *II D. Quadr.*, sic inquit: « In hoc » scilicet in transfiguratione, « notatur humilitas Christi; » sed Angelus satanæ per superbiam transfiguratur in Angelum lucis. Scit enim astutus serpens hic infernalis, ut nos fraudibus suis circumveniat per superbiam, malitiam suam sub pallio virtutis et sanctitatis conlogere, seseque in Angelum lucis transformare.

l. — Quæri potest cur Scriptura dicat quod transfiguratus est Christus et non potius quod ipse se transfiguraverit. Dicitur hoc ideo ut fiat evidens, quod transfigurationis honores ipse sibi non affectabat, nec procurabat, sed quod tales splendores ob ejus excelsa merita ipsum acquirebant, ad eumque convolabant. Quanto enim Christum in principatibus vitæ ejus mysteriis, magis humiliatum inve-

VERSUS 2.

Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Et resplenduit facies ejus sicut sol.

1. S. Thomas per hunc, solari per similem luminosum splendorem, gloriam, quam in cælo fructuri sumus, significari dicit: « Advertendum est autem, » inquit, « quod hæc claritas non erat ab essentia, sed ex claritate interioris animæ, plene charitate, erat quædam refulgentia in corpore, » anima enim Christi videbat Deum. » Idem quoque Cajetanus scribit, scilicet quod splendor ille derivatus fuerit: « Ex gloria interna animæ Christi, » cœva ab initio creationis suæ, non ab extra addita venit, ut splendor faciei Moysis. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib.* *II* in *Joan.*, ait: « *Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris mei;* » quod ut firmiter crederetur, præveniit ei in monte hæc gloriam discipulis monstravit. »

3. — Porro multæ in cælo animæ erunt, quæ multis sunt spiritibus Anglicis future superiores; jam vero perspicacissima illa celestis Aquila Joannes die quodam lynceos suos in Angelum quemdam defixit oculos, qui luce sua universum mundum collustrabat: *Terra illuminata est a gloria ejus;* ex quo loco sacri Doctores colligunt, unicam duntaxat animam beatam, per corpus suum gloriosum, majorem universo mundo lucem allaturam esse, quam qua ipsemet sol in cælo radiare conspicietur. S. Vincentius Ferrerius, *Serm.* *v* in *Dom.* in *Alb.*, unicum corpus gloriosum, septuplo majorem sole lucem, splendorem et claritatem habiturum esse existimat. Interlinearis Evangelistam ideo dicit scripsisse, quod facies Salvatoris, instar solis resplenderit, quia inter omnia creata aptorem similitudinem, cui coruscantem Salvatoris faciem compararet, invenire nequaquam potuit: « Non habet clarior, cui com-
paret. »

4. — S. Bonaventura, *Serm.* *v* de *Resur.*, super illa verba: *Tunc justi fulgebunt sicut sol*, scribens, hujusque similitudinis rationem reddens, quatuor in illa gloriosi corporis dotes se invenire dicit: « In splendore solis significatur dos claritatis. » In perpetuitate solis, dos impassibilitatis. In virtute solis activa, sol enim penetrat integrum vitrum, dos subtilitatis. In celeritate solis dos agilitatis; sole clariores erunt sancti. » Jansenius testimonium adducit S. Hieronymi, dicentis: « Quævis illis futuris est Dominus tempore judicandi, talis Apostolis apparuit. » In Isaiâ, *xxx*, *26*, denique de die illo scribitur: *Lux solis erit septemplex, sicut lux septem dierum.*

5. — Albertus Magnus in sensu morali, hæc de re ita scribit: « Quod Christus operatus est in suo corpore quotidie viri sancti mente, in qua dum

nimus, tanto magis eundem ab æterno Patre exaltatum admiramus. Postquam S. Paulus dixisset: *Humilitavit semetipsum, etc.*, mox subjungit: *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Efficit namque ut nomen Jesu per ludibrium crucis palibulo impositum, ab omnibus creaturis adoraretur, necnon ut crux, que antea infamis fuerat, diademata Regum et Imperatorum locupletaret et condecoraret. Eheu quot æternus Pater, ad manifestandam Filii Dei divinitatem, operatus est portenta? Totus namque mundus a fundamentis usque commotus fuit; lugubri veste se sol contextit, velum templi seiscium est, os latronis ad paradisum postulandum sese aperuit, resuscitata sunt multa mortuorum corpora, aperta sunt monumenta, rupti montes, petreæ et durissima marmora scissa sunt. Longinus lumen recuperavit oculorum, milites præ dolore percutiebant pectora sua, dicentes: *Verè Filius Dei erat iste.* S. Bernardus ait: « Cupidi quidem sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes; nobiles enim creature sumus et magni cujusdam animi; ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. » Ait quoque S. Gregorius: « Si divites esse cupitis, veras divitias amate. » Hæc autem per humilitatem assequemur, quæ in cælo pariter et in terra nos exaltat. » *Christus qui descendit, ipse est qui ascendit,* inquit S. Bernardus; « Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo eum in hoc ipso quod descendit, ascendisse; sic enim oportet. » *Christus ascendere, ut nos ascendere doceat.*

m. — Quas Dominus non induit figuras ut nos in corpus claritatis suæ transfiguret? Quas non subit formas ut in nobis imaginem Dei reformet? Aiebat quendam Moyses, *Exod.*, *xv*, *17*: *Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ.* Ad hæc Origenes, *Hom.* *vii*: « Hoc non dicit manu hominis factum, sed Dei. Quid ergo? Propter te Deus et plantat et edificat, agricola efficitur, structor efficitur ne aliquid tibi desit. » Unus Deo scopus est totius suæ economie, ut hominem reformet, ac figuret, ut illi antiquam Dei imaginem induat; ejus gratia mille induit formas ac figuras, veluti loldem amoris sui inventiones, in eum præcipue finem excogitatis, ut pro homine pati, eundemque reformare posset.

n. — Ex textu S. Lucæ, transfigurationem Christo orantæ accidisse, satis manifeste colligitur. Dicit enim Evangelista: *Facta est dum oraret species vultus ejus altera.* Unde Gilbertus sequentia scribendi occasionem sumpsit: « Voluit per hoc in mente sua orationis commendare virtutem, quod illa sit, quæ te in intimis alterum faciat et novum commuliet in hominem. »

« fulgorem suae claritatis immittit, faciem mentis
« alteram facit. Ps. LXXXVI, 16 : *Domine in lumine*
« *vultus tui ambulabit.* »

Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.

6. — Glossa, in *Luc.*, ait : « Vestes Domini sancti
« sunt, qui Christum induerunt, quae vestis Domina
« consistente in terris, despicibilis et aliorum simi-
« lis visa est; sed Domino montem ascendente,
« fulget, quia nondum apparuit, quod erimus, sed
« tandem similes ei erimus, quando videbimus eum
« sicuti est. »

7. — Hae vestes instar nivis candidae erant, quia
beate illae animae, quae Christo in caelis obsequen-
tur candidae erunt et immaculae, quia : *Aliquid*
conquinatum non intrabit in eam. Interlinearis si-
militer per vestes hasce, sanctos intelligit : « Sancti
« quicumque baptizati estis Christum induistis. »

Adiciones.

a. — *Et respiciunt facies ejus sicut sol; vesti-*
menta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Tritum
est axioma : Omnis Christi actio nostra est instructio,
sive ad nostram instructionem ordinata. Anima
ejus a primo creationis instanti fuit beata, unde et
merito corpori, cui unita fuit, quatuor dotes glo-
riosas communicare debebat; has tamen per conti-
nuum miraculum in portione superiori, quamdiu
humanitas passibilis exstitit, suspendit et suspensas
tenuit. Una sola vice, priusquam moveretur, in ipso
cursu anni XXXIII, eas transfudit ad corpus, nimi-
rum in transfiguratione. Finis hujus transfigura-
tionis, cum alias Dominus nosler esset humillimus :
Habitu inventus ut homo, formam servi accipiens,
fuit ut manifestaret se ac declararet Filium Dei et
promissum Messiam et inde sequacibus suis adderet
animum. Quapropter S. Petrus, II *Epist.*, 1, 18, ait :
Non enim doctus fabulus secuti, nolam facimus vobis
Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam,
sed speculatorum facti illius magnitudinis. Quid vero
S. Petrum moverit ad perhibendum huic transfigu-
rationis testimonium, declarat Cornelius Janseni-
us, hanc reddens rationem : « Unde Divus Petrus hu-
« jus transfigurationis meminit, nimirum quod
« sciret quantum per hanc fides nostra conforta-
« retur. Dominus insolita claritate suam Majesta-
« tem prodit; accedunt testes omnium gravissimi,
« qui mortis modum et rationem testantur; pos-
« tremo accedit et Pater ipse, se vere praesentem
« declarans et omnium maximum de Filio suo
« testimonium praebens. » Cum igitur Christus Do-
minus venerit in hunc mundum, ut in eo plantaret
fidem seque declararet, manifestaretque verum Dei
Filium, ac salvaret animas : *Vult omnes salvos fieri*
et ad agnitionem veritatis venire; scire cuperem cur
pro hoc spectaculo elegerit montem, locum ab
urbibus aliisque locis habitatis sequestratum? Cur

non potius ad majorem sui gloriam, utilitatemque
nostram, se transfiguravit in templo, veluti loco
sibi magis proprio : *In templo ejus omnes dicent*
gloriam? Aliud respondere nescio nisi cum nobis
intimare voluisse, quod solitudo sit via ad aeternam
gloriam. Idipsum etiam ex duobus sociis suis, quos
elegerat, Moysse videlicet et Elia, confirmari po-
test; siquidem primus spatio quadraginta annorum
moratus fuit in Madian, in sylvis, et postea, aliis
quadraginta annis, una cum populo itineratus fuit
per desertum; secundus, totam vitam suam trans-
egit in eremis. Propter hoc mysterium credere pos-
sumus quod ascensus ad caelum, elegerit sibi
montem Oliveti, ut sciremus solitudinem esse viam
ad paradisum.

b. — Moriturus Christus Dominus, hanc suae in
Thabor gloriae praemisit manifestationem, ne ex in-
firmitate videretur succubuisse, qui tanta virtutis
radiis coruscavit. Itaque ad mortales tenebras obe-
undans, hanc sibi faciem pretulit claritatis. Sed cur
instar solis ad mortem paravit? Accepit hic S. Zeno-
nem, *Hom. de resurrect.*, sic de sole philosophan-
tem : « Sol quotidie nascitur, eandemque die qua
« nascitur, emoritur, nec tamen instantis finis sorte
« terretur, ut solus retardet cursus; sed fidelis sem-
« per et intrepidus ad sepulchrum noctis contendit,
« sciens in ipso se habere quod vivat. » Igitur
Christus Dominus moriturus, prius totus splendet
ut sol, innuens quam imperterritus, quod intropi-
dit ad sepulchrum mortis festinet, ex quo celer-
rime sumet quod vivat. Accinit pulchre Eucherius,
in *IV Reg.*, xiv, sic cum Elia rapto ne moveretur,
componens morientem Christum : « Elias mortem
« distulit, non evasit; Redemptor autem noster,
« quia non distulit, superavit, eamque resurgendo
« consumpsit. » An tu, quid id curas, ut mortem
differas, ut pigrescas in vita, ideo ejus amarissimos
felles fugies? Imo semper amariores gustabis; si-
quidem omnibus moriendum est. O vos felices,
qui animose mortem appetitis, qui festinanti liben-
tes et imperterriti occurritis, mortem sine dubio
superabitis et inde amplissimam exhibetis vitam!
Hoc autem post Christum proprium est omnibus
electis ejus, quibus quia mors ad aeternam beatam-
que vitam patefecit introitum, cum gaudio moriun-
tur; quorum licet putrefact corpus, postea nihilo-
minus revescitur in resurrectione.

c. — Pollicitus aliquando fuerat Dominus, quod
justi in regno caelorum fulgerent sicut sol. Ostendit
ergo ipse gloriam suam in Thabor ad instar solis,
tum ut discipuli firmiter crederent, quod cum Do-
minus illa majestate polletetur, ipsi ad similem
essent elevandi, tum etiam ad speciem solis ostendit
faciem suam, ut promissioni suae de beatorum ful-
gore ad instar solis multam fidem reconciliaret.
Unde noster Cyrillus Alexandrinus, *lib. XII in Joan.*,
ait : « Quod ut firmiter crederent, praevinit et in

« monte hanc gloriam discipulis monstravit. »

d. — Hujus Evangelici textus : *Vestimenta autem*
ejus facta sunt alba sicut nix, sensum moralem in-
quirimus; qualem praeter ceteris pulchriorem adducit
S. Ambrosius, *lib. VII in Luc.*, ad hoc locum :
« Fortasse, » inquit, « vestimenta verbi sermones
« sunt Scripturarum et quaedam intellectus indu-
« menta divini. » Cir autem Scriptura nivi compa-
ratur, statim explicat citatus Ambrosius : « Vere
« hic solus sermo nivibus comparandus, qui de
« caelo missus in terram, jejuna nostrorum arva
« pectorum fecundavit. » Comparatur divinus
sermo nivi, ut canit Moyses, *Deut.*, xxxii, 2 : *Con-*
creseat, ut pluviam, doctrina mea; sicut ros eloquium
meum; quasi imber super herbam et quasi stilla super
gramina. Sicut enim nix fecundat agros ad magnos
fructuum cumulos, sic lecta Scriptura Sacra, fecundat
animos ad magnos edendos proventus : *Beati*
immaculati in via, qui ambulavit in lege Domini;
Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde
exquirunt eum. *Psal.* cxviii, 1. Simul beati nuncu-
pantur qui scrutantur divina testimonia, ac qui
ambulant in lege Domini. Si quis enim lectioni
divinae Scripturae incumbat, eamque scrutetur, ip-
sam spiritu retinebit, ac divinae legi adhaerens, in
ea ambulabit.

VERBVS 3.

Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo
loquentes.

Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias.

1. — Dionysius Carthusianus ideo Christum
societatem Sanctorum, tam novi quam veteris Tes-
tamenti, secum habere voluisse existimat, « ad in-
« sineandum, quod homines utriusque Testamenti
« salventur pro ipsum. »

2. — Quinvero dubium hoc loco non immerito
nascitur, quomodo Apostoli utrumque hunc, veteris
Legis eximium Prophetam agnoscere potuerint,
quamvis essent, cum distincte Hebraeis omnes ima-
gines, effigies et sculpturae prohibite fuerint. Cui
equidem variis modis responderetur. Euthymius ait :
« Dicimus, quod in libris vetustiorum Hebraeorum,
« species insignium virorum posteris reliquerant,
« quas legentes, inde eos agnoscebant; verisimile
« quoque est, ex traditionibus, viva voce traditis;
« fortasse etiam ex divina revelatione. » Theophy-
lactus, Apostolos ipse ex discursibus, quos cum
Christo miscbant, facile cognoscere potuisse dicit,
id quod Jansenius clarius specificat, ait : « Veri-
« simillimum esse, eos agnosuisse ex colloquio ipso-
« rum cum Jesu, in quo aut Dominus propriis eas
« compellat nominibus, aut ipsimet expresserunt,
« qui fuerint. » Verisimile enim esse existimat,
quod Moyses de morte Redemptoris disserens, eidem
praedixerit, ipsum eo modo extollendum esse in

patibulo, quo modo ille in simili patibulo exaltave-
rat serpentem. Satis quoque probabile est, Eliam
dixisse, quod, quomodo ipse se super defuncti pueri
corpus extendit, ad illud vivificandum, ita quoque
Salvator noster, ad restituendum animabus nostris
vitam perditam, brachia sua extensurus esset in
cruce. Dionysius Carthusianus ait : « Aliquo signo
« innotuerunt Apostolis. Vel forte Christus audien-
« tibus Apostolis alloquebatur nominatim Moyssem
« et Eliam, sicut amici convenientes solent se invi-
« cem ex nomine salutare. » Lucas Brugenius aliam
habet, circa hanc rem, considerationem, quae ei
quod, *IV Reg.*, 1, cap., legitur, innititur. Dicit
enim, forte ad illos agnoscendos multum juvit :
« Habitus ipsorum sacris litteris descriptus. »

3. — At vero cur ex tam numerosa Sanctorum
veteris Testamenti multitudine, hosce duos praecise
elegit? Chrysostomus id factum esse dicit : « Ut
« tam mortis quam vitae habere potestatem, liquido
« ac vere crederetur, utque superiorum et inferno-
« rum Dominus ostenderetur, idcirco Moysen jam
« mortuum et Eliam, qui nondum id passus est, in
« medium produxit. »

4. — Dicit etiam potest, quod, ex quo transfigu-
ratio praecipuum quoddam est gloriosissime vitae
ipsius mysterium, ideo Salvator noster illud per
horum duorum praesentiam honorare voluerit, quo-
rum unus in tanto conceptu inter homines erat, ut
Apostoli populi opinionem fuisse dixerint, Christum
vel Eliam esse, vel Jeremiam, aut unum ex Propheta-
tis. Porro sacri expositores, amborum horum Prophe-
taram varia merita, breviter tamen referunt.
S. Hieronymus, *lib. II, contr. Joann.*, ait : « Ob
« jejuniorum consortia, Moysen et Eliam, transfi-
« guratus in monte, secum ostendit in gloria. »
Hugo Cardinalis ait : « Omnibus renuntiaverunt,
« Moyses negavit se esse filium filio Pharaonis,
« majores divitias aestimans thesaurum Aegyptiorum,
« improprietatem Christi, » quia oculos suos in hunc
montem defixos tenebat : *Ascipebat enim in renu-*
neratorem. *Heb.*, xi, 26. Elias adeo pauper et inops
erat, ut vix pelle quadam amictus incederet; ambo
quoque solitudinem et secretos montium recessus
dilexerunt; quia unum ipsorum invenimus in
foramine petrae; alterum in *ostio speluncae.* « Pro
« plebe se morti exposuerunt. Uterque oravit pro
« peccatoribus et persecutoribus suis, Moyses, *Jam.*,
« xi, Elias, *III Reg.*, xix. » Ita Hugo Cardinalis de
hoc mysterio discurret; qui igitur hisce exornati
fuere virtutibus, meruerunt praecunctis aliis,
Christi in gloria, ipsius fieri Assessores.

5. — Lucas Brugenius, hosce duos praecunctis
aliis, ad spectaculum hoc vel maxime honorandum
cooperatos fuisse existimat : « Ille a mille quingen-
« tis annis mortuus, hic a mille ex hominibus rap-
« tus. » Et paulo post subjungit : « Jesus vitae mor-
« tisque Domini vult illos suae natu voluntatis

« evocaverat, partim ut spectaculum sua presentia ornarent, partim ut testimonium perhiberent veritati, illi mortuo reddito ad breve tempus cor- pore; hoc ex eo, in quem curru igneo adventus fuerat, loce adesse jussu. »

6. — Chrysostomus, *Hom. LVII, in Matth.*, voces et opiniones, per vulgus sparsas, in memoriam revocans, de quibus dicitur in Evangelio, quod postquam Dominus Apostolos interrogasset, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis? Illi dice- runt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis*, hunc in modum scribit: « Idecirco Moysen et Eliam, cætero- rum Prophetarum vertices producit, ut quam magnam sit inter servos et Dominum discrimen, oculis cererent, utque recte laudatum crederent Petrum, qui Filium Dei eum confessus est. »

7. — S. Hilarius aliud quoddam tangit myste- rium, dum ait: « Quod autem Moyses et Elias, ex omni Sanctorum numero assistunt; medius inter legem et prophetas, Christus in regno est. » Lucas Brugensis huic eidem opinioni adherens, ita scribit: « Itaque colloquium Moysis et Eliæ cum Jesu, est consensus Legis et Prophetarum cum Jesu, ejusque Evangelio. *Rom.*, III, 21. Oportebat enim Apostolos confirmari, non esse novam reli- gionem, quam Jesus prædicabat, sed testatam in lege et Prophetis. »

8. — Uterius inquiri potest, cur hic ex Prophe- tis et Sanctis ad antiquum Testamentum spectanti- bus, duo tantum, ex illis vero qui ad novum perti- nent Testamentum, tres presentes adferant. Respon- deri quidem posset, id fieri, quia in tempore Legis gratiæ, cœlum appetitur et longe plures salvan- tur, quam temporibus superioribus veteris Legis, at vero Timotheus Antiochenus id factum esse dicit: « Ut impletur dictum Pauli: *In nomine Jesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium et infernorum*. Ex inferis subduxit Moysen, id est, ex sinu Abrahe, ex caelestibus eduxit Eliam; ex terrestribus Petrum, Jacobum et Joannem. »

9. — Dionysius Carthusianus, hosce duos aliquam cum Christo habuisse dicit similitudinem. Moyses populi antiqui Testamenti legislator et mediator fuit; vidit Deum facie ad faciem, quocum insuper conversando, essentiam quoque divinam, licet per modum transcensus vidisse creditur; nec poterant filii Israel abinde, ob claritatem vultus, eundem aspiciere: « Sic Christus, populi novi Testamenti legislator est et mediator, ejus anima a suo exordio incessanter vidit Deum per speciem et tanti splendoris, in hac transfiguratione habuit faciem, quod Apostolorum reverberavit intui- tum. » Quod vero S. Eliæ personam spectat, sequentia considerat; quod scilicet Christi ad Judi- cium adventum, tanquam præcursor annuntiabit, quod item cœlum clausit orationibus suis, itidem-

que aperuerit; ac demum quod in illibata semper virginitate permanserit: « Sic Christus claudit et aperit regnum caeleste, cujus ingressum prohibet impiis et prælat electis; » præterquam quod de ipso scriptum, *Sep.*, VII, 26, legatur, quod sit *Condor lucis æternæ, speculum sine macula*.

10. — S. Thomas Christum, per horum inter- ventum, Judæismi calumnias confutare voluisse ex- timat, utpote qui eum veluti transgressorem tradu- cebat. Ideo quia « Elias omnibus Prophetis sanctior fuit et Moyses legislator, coram Moysæ et Eliæ ostendit, quia non erat Deo contrarius et trans- gressor legis. » Qui idem Angelicus Doctor aliam rationem tangit, nimirum: « Ut ostendat se judi- cem vivorum et mortuorum, quia Elias vivus erat, « Moyses mortuus. »

Cum eo loquentes.

11. — Porro Evangelista noster quidem qualem inter se discursum miscuerint, non declarat, bene tamen S. Lucas, qui ait: *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*, quasi diceret Evangelista Lucas: Inter se de Passione disserre- bant, quam paulo post Dominus noster Jerosolymis consummaturus erat. Lucas Brugensis ait: « Id quod notandum diligenter est, ut observes, quo- modo Jesus ita semper studuerit docere discipulos suos dignitatem suam, ut non ignorarent humili- tatem et vice versa, ita humilitatem, ut non obli- viscerentur dignitatem, quod perfici non posset redemptione nostra, si desset altera. »

12. — Dionysius Carthusianus ait: « De Christi Passione loquebantur, gratias referendo et pro mundi salute orando. » Paulus de Palatio hoc de amara Passione, in supremo gloriæ suæ gradu habi- tum colloquium mysterii minime vacare notat, dum ait: « Nemo enim poterit in gloria esse, nisi de Christi morte locutus; in fide enim sanguinis Christi saltem implicita, omnes salvantur, qui cœlo fruuntur. »

13. — Potest itidem hoc loco inquiri, cur non etiam tres Apostoli, pariter cum Moysæ et Eliæ colloquium istud vocati fuerint? Responso autem, facilis est, si consideretur Christum illos duntaxat penes se habere voluisse collocutores, qui a mundo sequestrati erant, siquidem *Mundus, quod suum est, diligit*; neque enim sua; de instanti sua morte consilia cum Petro conferre voluit, qui alias in simili proposito, *Matth.*, XVI, 22, dixerat: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc*; neque cum duobus illis fratribus, Jacobo et Joanne, qui alias primas in ejus regno sedes expetierant, ipsum temporaliter regnaturam esse sperantes; imo neminem secum sustinere voluit, qui ipsum vel unico tantum passu, a Calvario dimovere posset.

14. — Porro ille, de Christi subeunda Passione habitus discursus, prima facie, nonnemi tanta

festivitatis tempore valde inopportunos esse videri poterat. Unde S. Augustinus ait: « Hæcine sunt læta colloquia, que huic tante solemnitati con- veniebant? Hæc sermonis materia, inter tot gau- dia miscenda erat? » At vero S. hic Doctor, duos hosce Sanctos nullum Salvatoris magis complacen- tem discursum movere potuisse respondet, quam istum: « Domino Salvatore, que materia loquendi gratior, quam de salute et redemptione mundi tractare. »

15. — Mysticum profecto est epithetum, quo S. Lucas, per instinctum Spiritus Veritatis, Passio- nem ejus insignivit, dum ait: *Dicebant excessum ejus*. Euthymius ait: « Excessum vocans, ab hæc vita exitum. Quædam exemplaria habent *excessum*, alia *gloriam* habent, nam gloria quoque appellatur crux ipsa; aliis siquidem omnibus probum erat, utpote magnorum pena crimi- num, soli vero Christo gloria facta est, magni videlicet erga nos amoris premium. »

16. — Doctissimus Salmeron per elevatum suum intellectum, verbum istud, *Excessum*, præ quovis alio expositorie exactissime ponderat, dum ait: « Cæterorum hominum mors potius decessus esse solet quam excessus. Excessit Dominus in pretio quod redemit nos; quod Petrus ponderans, *I. Epis.*, I, 18, ait: *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi*. » Unica duntaxat sanguinis guttula, unica lachrymula, unicum tantum suspirium, imo unicus solum voluntatis actus ad nos redimendos sufficere poterat: « Sed copiosus apud eum redemptio. Excessit in obedientia, quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; excessit in charitate, quia majorem hanc charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, et tamen illum gra- dum superavit, moriendo pro impiis et inimicis. » Dionysius Carthusianus pariter Passioni Christi hoc nomen *excessus* attribuit, propter excessivum amorem quo Christus passus fuit: « Dicitur Passio Christi excessus, quia ex amore excessivo ad nos, pati dignatus est. Excessit et in patientia, » inquit Salmeron, « quia tanquam agnus coram tendente se obmutuit et non aperuit os suum, vel ut se excusaret, vel ut contradiceret et male diceret maledicentibus, quia habebat pro se plus quam duodecim legiones Angelorum, si voluis- set. » Hugo Cardinalis hunc excessum in humili- tate consistere dicit, dum ait: « Excessum vocat mortem, in qua ejus humilitas omnem excessit, vel ipse omnem hominem per humilitatem. » Dionysius Carthusianus denique dicit, quod Passio Domini vocetur « *Excessus*, propter ejus excessi- vum dolorem. »

Additiones.

a. — Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes. Moyses et Elias locuti cum Christo in tanta gloria, de excessu ac morte Domini ser- monem habuerunt; quod ex eo probatur quod excessus idem sit ac exitus: *Ego dixi in fuga, ac exitu meo*. *Psal.* CXV, 2. Et notandum quod Christi passio non dicitur excessus, seu excessiva, quando actualiter Christus eam sustinet; sed modo hic cum a longe spectatur, ac consideratur, ut notavit Lyranus. Dicebant excessum ejus, id est, passionem ejus futuram, que dicitur hic excessiva. Cum Christi passio actu toleratur, non dicitur excessus, seu excessiva, sed quando ut futura representatur. Calamitas imminens magis multiplicat timorem, ac exaggerat agonia- nem, quam dum ipsa patitur ac sustinetur. Durior calamitatis timor quam ipsius actualis tolerantia. Sic quoque mors naturaliter omnibus est horribilis, ad cuius conspectum ipsemet Dei Filius contristatus fuit, virgine perfectissimi expaverunt.

b. — Non sine mysterio factum crederim, quod inter tot Patres Veteris Testamenti, ad hanc transfigurationem soli admitti sint Moyses et Elias. S. Ambrosius, *lib. I de Jacob et vita beata, cap. VIII*, causam datur, dicens: « Operationes bono commen- dantur affectu. Neque enim minus beatus Elias, quam Moyses, cum alter cibi indigus, melotide vili, sine filii, sine sumptu, sine comite; alter populi ductor, lætus sobole, succineus potentia, cum diverso genere meritum æquale fundarunt, quando cum Domino in transfigurationis gloria refulse- runt. » Valde disparēs erant in actionibus ac moribus Moyses et Elias, ut discurrit S. Pater, et tamen æqualiter in transfigurationis majestate cum Domino apparent. Et quomodo inæqualibus operi- bus, tam æquale præmium? Deus enim non id quod fit, sed potius quo animo ac affectu fiat contempla- tur. Sapiens, *Prov.*, XVI, 2, inquit: *Omnes viæ hominis patent oculis ejus; spiritum ponderat dicit Dominus*. Homo per oculos videre nequit, nisi solam actionem externam; Deus autem ad spiritum et intentionem, finemque, quo opus sit, ponderandum usque pertingit. Unde de illo dicitur, *I. Reg.*, XVI, 7: *Nec iuxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea que parent, Dominus autem intuetur cor*. Consideratione digna est illa S. Ambrosii super illis verbis S. Lucae, de progenitoribus Baptiste scriben- tis observatio; dicit enim Evangelista: *Erant ambo justi apud Deum*. Ubi S. Ambrosius dicit: « Bene justos ante Deum dicit; non enim omnis qui jus- tus est ante homines, justus est ante Deum. Alter vident homines, aliter videt Deus; homines in facie, Deus in corde. Et ideo fieri potest, ut alii quis affectata bonitate populari justus videatur mihi, justus autem ante Deum non sit, si iustitia